

XLIX.

Nos igitur eam, quæ à præcipuis Peripatheticis, & eruditissimis quibusq̄, unanimi consensu approbata est; in Generalem, de terminis simplicibus: & Specialem de conjunctis; tum præceptis accommodatissimam esse, tum integram Logices naturam continere arbitramur.

L.

Ac prior pars nobis suppeditat organa Logica rectè cognoscendi res simplices, una voce notatas. Ea vera sunt ac dicuntur Prædicabilia, Definitio ac Divisio. Altera verò comprehendit atq̄ tractat instrumenta intellectualia rectè percipiendi ac arripiendi terminos conjunctos, quales sunt integræ sententiæ, argumentationes, integri tractatus ac scripta Methodica. Et hanc Aristoteles absolvit lib. de Interpret. Analytica 1. Topic. 8. & 2. Sophist. Elench.

LI.

Et hæc quoq̄ de partitione Logices dicta sufficiant: Ipsarum autem partium explicatio in sequentibus, DEO volente, instituetur. Si verò hac de re quæ fuerint contrariæ sententiæ, eæ inter disputandum enodabuntur.

ΠΑΡΑΔΕΙΠΝΙΑ.

I.

An Aristoteles fuerit primus inventor Logices? N.

II.

An Logica sit necessaria? A.

III.

An sit utilis? A.

IV.

An sit pars Philosophiæ? A.

V.

An sit instrumentum? D.

VI.

An Logica possit dici ars specialis? D.

VII.

An Logica sit prior, quàm Grammatica? D.

VIII.

An Logicæ tres Artes sint priores reliquis?

DISP.V.